



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cavtio Criminalis, Seu De Processibus Contra Sagas Liber**

**Spee, Friedrich von**

**Francofvrti, 1632**

5. An contra Excepta formare liceat processum pro arbitrio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11133**

## D V B I V M V.

*An igitur contra excepta formare liceat.  
Processum pro arbitrio?*

**R**ESPONDEO, Non licet.  
**R**ATIO est. Etsi enim ut iam dixi  
 Excepta sunt ab eo, quod humane leges  
 Positivæ, non tamen quod humana ra-  
 tio seu lex naturalis præscribit. Itaque  
 qualiscunque tandem contra ea Pro-  
 cessus fiat, siue intra seu extra commu-  
 nem ordinem iuris, huiusmodi tamen  
 fieri necesse est, in quo nihil sit omnino,  
 quod cum recta ratione contendat.  
 Clarum id est per se, nec indiget proba-  
 tione: Nemo enim dicet, licere aliquid,  
 quod sit contra rationem. Moneo au-  
 tem ea causa, quia animaduerto, Iudi-  
 ces quosdam, dum contra Sagas inqui-  
 rūt, liberiores esse quam oportet, excu-  
 santes omnia per hoc, quod sit crimen  
 Exceptum. Itaque si futilia habuere in-  
 dicia, si modum excessere in torquen-  
 do, si nimis creduli fuere, si negauere  
 defensionem, & similia, quæ à ratione  
 deseruntur, identidem hoc velut scutum  
 ob-

obiiciunt; Exceptum fuisse crimen, in Exceptis amplissimam esse arbitrandi libertatem, prout deinceps hinc inde sæpius inspergam. Sed nisi plane iniqui esse velimus, illud sibi omnes Iudices velut generale quoddam principium atque inconcussum axioma præfixum habere debent, *in omni crimine seu excepto seu non excepto aliter Processum formare non licere, quam recta ratio permittat.* Deinde vero falsissimum quoque est licere in exceptis ab *Omnibus* simpliciter recedere, quæ à legibus positivis præscripta sunt. In *Quibusdam* tantum licet, non *Omnibus*; neque enim aliud ex ullo iure colligi poterit: ut proinde satis hinc arguatur multorum imperitia, ac bene doceat *Farinacius q. 37. nu. 90.* hanc doctrinam, quod in exceptis liceat ordinem iuris negligere, vel strictè loquendo esse *falsam*, vel intelligi solum oportere *de punitione tantum*, quando iam non amplius quæritur, sed cum constat de delicto, quasi hæc seuerior esse possit, quam communiter alioqui leges præscribant, & hanc esse sententiam

12 Dub. VI. *An bene faciant Principes Germania,*  
tiam plurimorum Doctorum quos citat, & nos breuitatis causa omittimus: lege de hoc etiam *Mascardum vol. 3. concl. 1311.* Sed quicquid sit, neque enim hic hærere lubet, id extra controuersiam est, non licere in exceptis quicquam, quod rectæ rationi aduersum sit.

D V B I V M VI.

*An benefaciant Principes Germania, cum in crimen Sagarum acriter procedunt?*

**R**ESPONDEO, Longissime absit à me, vt arguam Magistratus, cum vehementer in hoc crimen se concitant: uoluit eos imperare nobis Deus & nos parere. Rationes suas habent, quas consiliarij iis dictant, & sunt istæ:

RATIO I. Purgant (vt aiunt) Remp. ab insigni peste, quæ vt cancer serpit & contagione nocet.

RATIO II. Anteuertunt damna & clades, à quibus machinandis mancipia illa Sathanæ nunquam cessant.

RATIO III. Satisfaciunt officio suo, & uocationi: Sic enim Apost. ad Rom. 13. loquitur de Magistratu: *Non sine causa*  
gla-